

paretur, quia semper sursum tendit, purificat, illuminat, calefacit, et omnia superat, ut ignis. 2^o Quomodo nutriendus sit hic ignis, scilicet subdendo ligna, seu considerationem frequentem motorum priori numero indicatorum, et beneficiorum tam communium, quam specialium, a Deo acceptorum. Vide tit. cit.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, cur et quomodo Christus diligendus sit; quem in finem narrari potest, quod Regi Tigrani cum sua uxore a Rege Cyro capta contigit, quod scilicet, cum Cyrus aliquando quaereret, quid pro uxore redimenda dare vellet, ipse respondit, se vitam et sanguinem pro eius redemptione offerre; quæ responsio adeo Cyro placuit, ut utrumque dimitteret. Cum autem in via a Tigrae uxore quaereret, quomodo illi humanitas Cyri placuerit, responderit ille se ad hoc quæsitum respondere non posse, eo quod ab illo momento, quo vitam et sanguinem pro illius redemptione obtulit, ad nullum alium quam ad ipsum oculos converterit. Quanto magis ergo erga Christum hoc observandum, qui vitam actu pro nobis dedit.

XII. Ex eodem themate ostendi possunt motiva ad proximum diligendum, scilicet 1^o Ex parte Dei mandatum, beneplacitum, promissio. 2^o Ex parte proximi titulus similitudinis quoad naturam fraternitatis, quoad Christi sanguinem, et gratiam commembris propter corpus Ecclesie. 3^o Ex parte nostra propter necessitatem, utilitatem, et jucunditatem. Qui triplex funiculus vehementer sane nos obstringit ad fraternam dilectionem summo studio exercendam. Vide tit. Dilectio proximi.

PRO DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN

I. *Ecce offerebat ei paralyticum iacentem in lecto.* MATTH. IX. Possunt peccatores in veterati huic paralytico comparari ex affectibus similibus, et inde quam gravis, noxius, et probe incurabilis morbus sit talis consuetudo, ostendi. Dein potest ostendi, quo medio tales peccatores liberari debeant a sua paralyti, nempe surgendo ad orationem et continuam gratia divine implorationem; *tollendo lectum*, id est contrarias virtus exercendo, sicut paralyticus lectum portabat, a quo ipso se prius portabatur; *vadendo*

in domum suam, id est, recedendo a Diabolo, et ad Christum, a quo discesserat, redeundo, cum firmo proposito nunquam amplius ipsum deserendi. Vide tit. Consuetudo § IX. et Fabrum hic conc. 2. n. 2.

II. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata.* MATTH. IX. Possunt proponi tituli, ob quos merito quisvis peccator sperare potest sibi condonatum iri peccata, si ad Christum confugiat, quorum primus est *miseriordia Dei*; de qua vide titulum Dei misericordia. Secundus *Fidelitas Dei* promittentis toties veniam petentibus; de quo vide tit. Penitentia. Tertius *Donitas divina, et Amor Dei* erga homines; de quibus vide tit. Deus et tit. Spes.

III. *Hic blasphemat.* MATTH. IX. Potest blasphemie gravitas ostendi, et unum, alterumve medium contra eam proponi, et commendari; de qua materia vide tit. Blasphemia.

IV. Ex ejusdem themati occasione potest illud remedium proponi, quod in eodem titulo indicatur.

V. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* MATTH. IX. Potest ostendi, quomodo se quisque circa cogitationes gerere debeat. Nempe sicut janitor civitatis se gerit cum peregrinis adventantibus, ita ut 1^o Portas sensuum diligenter custodiat, et clausas habeat. 2^o Si aperte hæc portæ esse debeant, neminem intronmittat, priusquam examinet, quo tendat, quid facere velit in civitate; ita enim suadet Thomas Kempensis lib. III. cap. II. Non omnis affectio, quæ videtur bona, statim est tenenda. 3^o Ut, si contra voluntatem se intrusit peregrinus, mox eum indignatione, et violentia expellat; quæ omnia facile cogitationibus malis applicari possunt, et inde inferri, quantam laudem, amorem, et premium ex tali fidelitate talis homo apud Deum sit reportaturus. Vide tit. Tentatio, et Thom. Kemp. lib. III.

VI. Ex ejusdem themati occasione potest ostendi, cur Deus etiam honos homines malis cogitationibus vexari permittat, nimirum ob tres causas, quarum primam Sanctus Paulus II. Cor. XII. indicavit, dicens: Ne magnitudo revelationum extollat. Secundus Sanctus Gregorius assignavit, dum Hugonem ejusmodi cogitationibus vexatum bono animo esse jussit, dicens, istiusmodi tribulationibus velut igne aurum, id est, homines justos probari. Tertium Christus ipse S. Birgittæ indicavit, dicens: « Hæc est vera

æquitas, ut, quemadmodum tu aliquando me invito vanis mundi rebus te oblectasti, ita nunc quoque in vita cum illis configere cogaris. » Unde duo colligenda, 1^o Non esse signum inimicitie, sed amicitie, talibus cogitationibus contra voluntatem cruciari, uti pulchre libellus de imit. lib. III. cap. VI. ostendit: Non ideo totum perditum, etc. 2^o Non nocere sensuum, si desit consensus, imo tanto esse amplem meriti occasionem, quanto molestiores sunt cogitationes. Hinc Sanctus Bernardus capit. XIX. De interna domo: « Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet penam, habebit et coronam; non nocet sensus, si desit consensus; imo quod resistentem fatigat, vincenlem coronat. » Vide tit. Tentatio et Thom. Kemp. citat. capit. VI. Non te conturbent, etc.

VII. Ex occasione thematis: *Venit in civitatem suam.* MATTH. IX. Potest ostendi 1^o Quæ civitas Christi? Nimirum illa, in qua viget fides viva Christi, singularis fiducia in Christum, servata charitas et concordia tantopere a Christo commendata, verbum Christi libenter auditur, zelus honoris Dei per frequentationem templorum reperitur. 2^o Ostendi potest, quam præstans sit hoc elogium, quamque adeo magnum honorem ab hominibus, copiosam benedictionem a Deo, et constantem protectionem a Christo sperare possit. Vide Fabrum conc. cit. et in Sylva th. I. et 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto*: possunt huic paralytico convenienter animæ purgantes comparari. 1^o Quia seipsas movere non possunt, id est, liberare ab hac pena. 2^o Quia in duro lecto jacent, scilicet in igne, quem aliqui eodem cum igne infernali putant. 3^o Quia graviter torquentur, ita ut juxta aliquos minima pena si gravior omnibus cruciatibus hujus mundi. Excitentur proin Audiros ut offerant eas Christo tum per SS. Missæ Sacrificium, tum per Sac. Communionem, et ardentem preces. Vide Fabrum conc. 2. litt. P.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quinam tali gravi Paralyti laborent. Scilicet 1^o Magistratus, ac parentes non punientes vitia subditorum, et liberorum. 2^o Eucliones, elemosynam dare recusantes. 3^o Negligentes cultum, et officia divita. 4^o Otiosi, laborare et quæ officii sui sunt, præstare negligentes, qui omnes proin ad Christum adducantur, et quomodo per ipsius verba, et

exempla curari debeant, ostendatur. Vide Fabrum loc. cit.

X. Ex occasione thematis: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* potest solatium afferri iis, qui variis cogitationibus contra voluntatem vexantur. Et 1^o quidem cogitationibus contra fidem. 2^o Contra castitatem. 3^o Contra charitatem per suspiciones, et judicia temeraria. 4^o Contra religionem Deo debitam per distractiones in orationibus. Pro quibus proin omnibus apta media præscribantur.

XI. Ex occasione thematis: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*: possunt ad spem erigi, qui 1^o timent, ut peccata ob multitudine, et gravitatem remittantur a Christo Judge. 2^o Qui timent, ut rite ea confessi sint, aut confiteantur. 3^o Qui timent, ut ea ob consuetudinem malam vitare non possint. Quare ostendatur, quomodo hos timores expellere possint, ad quem finem Blosius de consolatione pusillanimum, aut pars 4. Bibliotheca mex domesticæ servire poterit.

XII. Ex occasione thematis: *Videntes autem turbæ timebant, et glorificaverunt Deum*: ostendi potest, quomodo timentibus Deum bene sit. 1^o *Ante mortem*, juxta testimonium Tobie: Multa bona habebimus, si timeamus Deum; et juxta David: Non est inopia timentibus eum. 2^o *In morte*, juxta testimonium Siracidis cap. I. Timenti Dominum bene erit in exitis. 3^o *Post mortem*; nam, ut Sanctus Paulus I. Timoth. cap. IV. ait, pietas (seu ut alii interpretantur, timor Dei) ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et in futuro. Vide etiam Fabrum conc. 7.

PRO DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN

I. *Venit ad nuptias.* MATTH. XXII. Potest beatitudo æterna nuptiis comparari. 1^o Quia sicut in nuptiis omnia lætitia spirant, et optimis epulis satiantur hospites: ita et in coelis est *omnis boni presentia*, juxta illud Psalm. XVI. Satiabor, etc. et Psalm. XXXV. Inebriabuntur, etc. 2^o Sicut in nuptiis omne, quod tristitia creare et lætitia turbare posset, longissime arcetur; ita et in coelis est *omnis mali absentia*, juxta illud Isai. XLIX. Non esuriunt, etc. et Aroc. XXI. Et absterget, etc. 3^o Sicut in nuptiis est gratissima

amicorum societas, omnesque splendida, et nuptialis veste vestiti sunt; ita et in coelis omnes veste gloriae ornati, jucundissime inter se sociabuntur. 4^o Sicut nuptiae diutius plerumque, quam alia convivia aut conventus, durant, ita et in coelis beatitudo in aeternum durabit, juxta testimonium Christi JOAN. XVI. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Vide tit. Beatitudo.

II. *Vidit hominem non vestitum veste nuptiali.* MATTH. XXII. Ostendi potest, quamnam sit vestis nuptialis, sine qua nullus ad coelestes nuptias intromittetur, nempe charitas, id quod ex effectibus vestis colligi potest. Nam 1^o sicut vestis operit multitudinem peccatorum, teste Sancto Jacobo cap. v. 2^o Sicut vestis protegit a coeli injuriis, ita et charitas a tribulationibus, quia aquae multae non possunt extinguere charitatem Cantic. vii. 3^o Sicut vestis hominem ornat, et dignitatem ejus indicat, ita et charitas, quia quantitas (et dignitas) cujusque animae aestimatur de mensura charitatis, quam habet, teste Sancto Bernardo. 4^o Sicut nemo ad nuptias sine veste nuptialis admittitur; ita nec sine charitate ad nuptias coelestes: nam, ut Sanctus Gregorius homil. xv. Super illud Evangel. *Domine si tu sustulisti etc.* ait, in quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni appropinquat. Excitantur ergo Auditores ad vestem hanc omni conatu procurandam, simulque, qua ratione eam obtinere possint, ostendatur. Vide tit. Charitas.

III. *Ecce prandium meum paratum est.* MATTH. XXII. Potest ostendi, quam pretiosum, fructuosum, et jucundum prandium in SS. Eucharistia praeparaverit Christus. Inferatur subinde, quam grandis ingratitude sit eorum, qui ad tale prandium venire recusant, sive amor et benevolentia invitantis: sive necessitas et utilitas invitati: sive ipsius prandii praestantia, et dulcedo consideretur. Vide tit. Eucharistia.

IV. *At ille obmutuit.* MATTH. XXII. Ostendi potest, quod in hac quidem vita varia excusationes a peccatoribus afferantur, quibus more Adami foliis ficus se operientis peccata sua minuire, et excusare conantur, sed quae in altera vita nihil valebunt. Earum 1^o est: Daemon deceptit me; sed licet sollicitare, et latrare, is possit mordere tamen non potest, nisi volentem. 2^o Quod proximus causam dederit ad lapsam, sed occasio hominem fragilem non facit, sed qualis quisque

sit, ostendit. 3^o Quod consuetudo impulerit; sed nihil impossibile apud Deum; hinc Sanctus Augustinus, Sancta Magdalena, Sanctus Paulus, et alii, eandem faciliiter superaverunt. 4^o Quod passionum vehementia prostraverit; sed sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illis. Gen. iv. Vide plura tit. Consuetudo, et titulus. Concupiscentia, et Fabrum hic conc. 5.

V. *Ligatis manibus, et pedibus ejus, mitte eum in tenebras exteriores.* MATTH. XXIII. Potest ostendi gravitas infernalium suppliciorum, simulque excitari Auditores ut memoriam, et timorem inferni exemplo Sancti Francisci Borgiae praemittant velut prodromum ad omnia loca, in quibus occasio peccandi, vel patendi ipsi offerri potest. Vide tit. Infernus.

VI. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* MATTH. XXII. Ostendi potest causa, cur tam pauci electi sint ex Christianis, et dici, id ideo plerumque fieri, quod viva fide non credant ea, quae de inferni suppliciis Catholica fides doceat, alioqui sane stultissimos fore, si pergerent, tam graviter peccare; ostendatur ergo per varias auctoritates, omnia verissima esse, ut vel sic salubrem timorem inferni concipiant et per eundem a peccatis abstergeantur, juxta illud Ecclesiastici: In omnibus operibus tuis memorare invidiosam, et in aeternum non peccabis. Vide cit. tit. et Fabr. conc. 2. in Dom. 20.

VII. Ex occasione thematis: *Simile est regnum caelorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* MATTH. XXII. ostendi potest, quomodo Deus cum anima fidei nuptias contrahat, quamque admirandae sint hae nuptiae. 1^o Si dignitas sponsi, et ignobilitas sponsae consideretur. 2^o Si dos sponsae spectetur. 3^o Si nexu indissolubilitas attendatur. 4^o Si proles generandae considerantur. 5^o Si conjunctio utriusque in communione pensetur. Unde inferatur, quam fideliter sponsa sponso adherere debeat, quamque grave crimen sit, si velut adultera ab eo discedat. Vide Fabrum in Sylva them. 1. n. 3.

VIII. Ex occasione thematis: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi:* ostendi potest 1^o Quam pauci sint electi, etiam ex Catholicis. 2^o Unde colligere quis possit se esse electum, videlicet si habeat vestem nuptialem charitatis divinae. 3^o Quantas gratias Deo debeamus, quod ex tam multis nos elegerit. Vide Fabrum conc. 1.

IX. Ex eodem themate ostendi possunt

variis modis, quibus Deus suos electos vocare solet, nimirum 1^o Per scripturas et libros. 2^o Per concionatores, et confessarios. 3^o Per exempla hominum Sanctorum. 4^o Per beneficia, et prosperitates. 5^o Per internas inspirationes. Unde ostendatur, quomodo his vocationibus respondere debeamus. Vide Fabrum conc. 6.

X. Ex occasione thematis: *At ille obmutuit:* ostendi potest 1^o Quam juste peccator mortalia committens gravissima inferni poena puniatur. 2^o Quam juste etiam aeternum sit illud supplicium, quae duo capita sat difficulter capere possunt. Vide tit. Aeternitas, et Peccatum mortale. Item Fabrum conc. 4.

XI. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, cur vocationi quisque suae prompte et studiose respondere debeat; nimirum 1^o Propter vocantem. 2^o Propter vocationem. 3^o Propter finem et statum, ad quem vocatur. 4^o Propter modum, quo vocat, idque non semel, sed saepius. 5^o Propter peccatum neglectae vocationis. Vide tit. Vocatio et Fabrum conc. 8. lit. D.

XII. Ex occasione thematis: *Iberit fletus, et stridor dentium:* potest ostendi, quam justas et graves causas habituri sint damnati hujus fletus, et stridoris, videlicet 1^o Quia ibi invenient omnis boni absentiam. 2^o Omnis mali praesentiam. 3^o Omnis poenae inde sententiam; de quibus vide tit. Infernus et Fabrum conc. 2.

PRO DOMINICA XX. POST PENTEGOSTEN.

I. *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur.* Jo. iv. Potest ostendi, cur morbi a Deo permittantur; nempe ob triplicem manifestationem. 1^o Ut manifestetur malitia, et gravitas peccati, per quod ejusmodi mala sunt invecata, atque adeo odium erga illud concipiatur. 2^o Ut manifestetur virtus et profectus eorum, qui tales morbos patiuntur; hinc S. Paulus II. Con. xii. dixit: Lihenter igitur gloriabor, etc. propter quod complacere, etc. 3^o Ut manifestetur gloria Dei tum per potentiam, tum per misericordiam, tum per justitiam ostensam; hic Christus Jo. ii. dixit: Infirmus haec non est mortem, etc. Excitentur ergo Auditores, ut ob hos fines student patienter suos morbos sufferre; pro quo seopo vide plura toto tit. de Patientia, et Fabrum hic conc. 1. tit. cit.

II. *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Jo. iv. Commendari potest usus Eucharistiae duplicis generis hominibus, qui mori incipiunt. 1^o Illis, qui sunt in occasione graviter peccandi; aut jam actu peccarunt, et sunt in periculo mortis aeternae per malam consuetudinem incurrendae, quibus hoc Sacramentum summe necessarium et utile est. 2^o Illis, qui in agone constituti sunt, ut illud per modum viatici sumant, memores verborum ab Angelo ad Eliam dictorum III. REG. ix. Surge, et comede, grandis enim (id est, difficilis, et periculosa) tibi restat via. Vide tit. Eucharistia, et Fabrum conc. 3.

III. Ex eodem themate possunt Auditores excitari ad Unionem extremam libenter, et reverenter suo tempore suscipiendam. Et 1^o quidem ostendatur, quam graves tentationes et pugnae cum morbo, morte, peccatis praeteritis, et demonibus sint subeunda, quamque adeo prompte suscipi debeat Unctio, qua Christus, et Ecclesia unguunt infirmum, ut fortiter certare possit. 2^o Propinantur, et refutentur efficaciter rationes, quae frequenter absterrent infirmos, quomodo hoc Sacramentum suscipere velint. Vide tit. Unctio extrema, et Fabr. conc. 7.

IV. *Rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium ejus.* Jo. iv. Ostendi potest, qualem curam Paterfamilias habere debeat erga domesticos suos, juxta illud Apostoli I TIM. v. Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, etc. demonstratur ergo, quomodo in primis animae curam habere debeat, ut instruat in virtutibus, moribus, scientiis: dein corporis, ut habeat necessaria in victu, vestitu, habitatione; et si sanitas laesa est, etiam per ejusdem recuperationem. Ostendatur autem, quam gravis obligatio illis incumbat, hanc curam suscipiendi; de qua vide tit. Educatio, et Fabrum conc. 5.

V. *Et creditit ipse, et domus ejus tota.* JOAN. iv. Potest exempli boni efficia demonstrari ex Reguli hujus factis; qui quia credit in Christum, mox etiam tota domus creditit. Ostendatur ergo, quomodo quisvis Paterfamilias, si domesticos in oratione devotos, in labore impigros, in moribus deque obtemperantes habere voluerit, id melius, citiusque obtinere non possit, quam si exemplo praeratur. Vide tit. Exemplum, et Fabrum conc. 8. n. 4.

VI. *Creditit homo sermone, quem dicit ei Jesus, et ibat.* Jo. iv. Ostendi potest, fidem

solam non sufficere ad salutem, sed etiam opera charitatis iungenda esse, sicut iste Regulus non tantum credidit filium suum sanatum esse, sed etiam ivit ad eum videndum, et cum gaudio tanquam sanum amplexandum; qua de materia vide tit. Fides; et passim Controversistas.

VII. Ex occasione thematis: *Reliquit eum febris*. JOAN. IV. potest peccatum veniale febrim comparari. 1^o Quia pulchritudinem animæ imminuit ut febris, ideoque etiam minus amabilem facit. 2^o Quia valde debilitat hominem. 3^o Quia varios paroxysmos inquietudinis conscientie causal. 4^o Quia appetitum ad spirituales animæ cibos auferit. 5^o Quia gravius malum affert, quam sint omnia naturalia mundi mala. 6^o Quia disponit ad mortem spiritualem, seu peccata mortalia. Inferatur proinde, quantopere detestandum, et fugiendum sit. Vide tit. Peccatum veniale.

VIII. Ex occasione ejusdem thematis possunt proponi media ad febrim spiritualem curandam, quorum primum est procuratio sudoris, per quem intelligitur usus frequentis contritionis, et confessionis. 2^o Sumptio medicinæ, per quam intelligitur ipsa Eucharistia, quæ, teste S. Bernardo, sensum minuit in minimis, et in gravioribus omnino tollit consensum. 3^o Evomitio materie febrim causantis, id est, concupiscentiæ, juxta illud Thoma Kemp. Desine concupiscere, et desines male habere. 4^o Jejunium spirituale, seu generosa victoria, qua sæpius abstinetur ab ejusmodi peccatis. De quibus vide tit. cit.

IX. Ex eodem themate possunt aliquæ peritiles quæstiones circa peccata venialia resolvi. 1^o Triplicis generis peccata a Theologis assignari. *Maxima*, quæ in se mortalia sunt, sed ob defectum plene advertentiæ venialia reputantur. *Media*, quæ in se venialia sunt, et deliberate committuntur. *Minima*, quæ ex fragilitate, et cum semiplena advertentiâ committuntur. 2^o Quousque venialia peccata vitari queant. 3^o Quomodo peccata venialia ad mortalia disponant. 4^o Cur peccata venialia a virtutis assediis specialiter vitanda sint. Quas omnes quæstiones a nobis resolutas vide.

X. Ex occasione thematis: *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur*: potest ostendi, et probari veritas communis axiomatis: *Agrum corpus parit bonas cogitationes*. Nam prima cogitatio est, qua cognoscuntur

fructus peccati ex morbi doloribus. Secunda cogitatio est, qua inferni pene in memoriam revocantur. Tertia est, qua vanitas rerum mundanarum cognoscitur. Quarta, qua B. V. et Sanctorum patrocinium necessarium cognoscitur. Quinta est, qua melioris vite instituendæ proposita concipiuntur; quæ omnia facile fusius deduci possunt.

XI. Ex eodem themate morborum commoda, et fructus explicari possunt, quia videlicet per eos Deus glorificatur, uti Christus de morbo Lazari dixit. 2^o Quia purificat, et perficit ipsum ægrotum. 3^o Quia ædificat proximum, tum per visas ægri virtutes, tum per varias cogitationes ingestas. De quibus vide Fabrum conc. 1.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo infirmi se tempore morbi gerere debeant, ut optatum fructum ex eo referant. Ostendatur ergo 1^o Quid initio morbi. 2^o Quid durante morbo. 3^o Quid post morbum observare debeant, uti fusius in prima parte Bibl. Man. domesticæ tract. 1. ostenditur.

PRO DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

I. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis*. MATTH. XVIII. Potest severitas judicii ex tribus proprietatibus judicii demonstrari; quia scilicet, est infallibilis propter sapientiam: infugibilis propter potentiam: inflexibilis propter justitiam. De quibus vide plura tit. Judicium, et apud Fabrum conc. 6.

II. *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*. MATTH. XVIII. Ostendi potest, quam misericors sit Deus, qui ad tam paucas voces serio prolatis omne debitum dimittit. Deinde vero quam æquum sit, ut omnia reddere studeamus per penitentiam magno cum fervore susceptam, uti multi Sancti fecerunt. Vide tit. Penitentia, et tit. Dei Misericordia.

III. *Redde, quod debes*. MATTH. XVIII. Ostendi potest, quod hæc verba omni fere statui convenient, nempe Clericis, iudicibus, hospitibus, et mercatoribus, opificibus, dominis, servis. Demonstretur subinde, quem fructum ex tali redditione reportaturi sint, scilicet, ut de ipsis verificetur illud PSALM. CV. Beati, qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam omni tempore. Vide plura tit. Justitia.

IV. *Nonne ergo, et te oportuit misereri*

emseri tui? MATTH. XVIII. Potest ostendi, quam æquum sit, ut quis homo inimico suo ignoscat, si meminerit, quod ipse quotidie dicat in oratione Dominica: *Et dimitte, etc.* Demonstretur ergo, quam dispar sit offensarum conditio, sive personæ offensæ dignitas, sive offensarum gravitas, sive earundem frequentia attendatur. Vide tit. Dilectio Inimici.

V. *Iratus dominus ejus tradidit eum torcoribus*. MATTH. XVIII. Potest ostendi, quam multos offendat is, qui vindictam de proximo capit; quamque adeo merito graves penas timere debeat. Vide cit. tit.

VI. *Et debitum dimisit ei*. MATTH. XVIII. Possunt ostendi fructus copiosi, qui ex dilectione inimici reportantur, et tum selectis SS. Patrum sententiis, tum aptis historiis probari; de quibus vide cit. tit.

VII. Ex occasione thematis: *Redde quod debes*. MATTH. XVIII. ostendi potest, in his tribus verbis omnem substantiam rationis Deo olim reddendæ consistere, ut scilicet 1^o Reddamus Deo, quod debemus, honorem, amorem, et obedientiam. 2^o Proximo dilectionem, subventionem, et concordiam. 3^o Nobis ipsis fugam peccati, operum bonorum exercitum, perseverantiam in istis.

VIII. Ex eodem themate potest justitiæ amor commendari ex triplici capite. 1^o Quia Deus summe eam requirit, teste Michæa: *Indicabo tibi, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te, utique facere iudicium, et justitiam*. 2^o Quia bonum Reipublicæ, cujus pars sumus, justitiam summe exigit; nam, teste S. Augustino, justitia sola Respublica sustentatur. 3^o Quia ad bonum nostrum privatum augendum summe conducit, teste Salomone dicente: *Si justitiam quis diligit, hujus labores magnas habent virtutes*. Vide tit. Justit.

IX. Ex occasione thematis: *Cæpit rationem ponere cum servis*: potest ostendi, quam rigida sit ratio, quam Christus in particulari iudicio a nobis exigit. 1^o Quia erit *exactissima* de omnibus etiam minimis cogitationibus, verbis et operibus. 2^o Quia erit *severissima*, nihil impunitum relinquens. 3^o Quia erit *immulabilis*; nam quicquid in ea conclusum fuerit, ratum manebit in æternum. Unde Auditores ad salutem timorem hujus iudicii excitandi, ut dicant scilicet cum Jobo: *Verēbar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*.

X. Ex eodem themate suadendus serius,

et sedulus usus quotidianus examinis conscientie. 1^o Quia conducit ad rigidum examen iudicii particularis effugiendum, aut leniendum. Si enim nosmetipsos dijudicarem, non utique iudicarem. 2^o Quia hoc examen est officina prestantissimarum virtutum, quæ in eo exercentur. 3^o Quia conscientiam tranquillat, summamque adeo jucunditatem animo conciliat. Vide tit. Examen conscientie. Et Fabrum Dom. iv. post Pent.

XI. Ex eodem themate ostendi potest aliud medium ad iudicii divini rigorem moderandum, quod ipse Christus indicavit dicens: *Nolite iudicare, et non iudicabimini*: cujus mediæ efficaciam expertus est Monachus ille, qui cætero non admodum Religiosus, in morte lætum valde se ostendit, eo quod peccata sua ob hæc causam ab Angelo delata fuisse intellexisset. Ostendatur ergo, quomodo hoc medium practicandum sit, scilicet per consilium S. Bernardi dicentis: *Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum; et sequere monitum Apostoli, dicentis: Nonne de iis, qui foris sunt, vos iudicatis.*

XII. Ex occasione thematis: *Non exiit hinc donec solvas novissimum quadrante*: potest hæc sententia animabus purgantibus applicari, et inde Auditores excitari ad solvendum pro ipso propter tres rationes; quarum prima est, quod hæc ratio ipsum Christum etiam reddimus, reputantem sibi factum, quod aliis facimus. Secunda, quia sic eandem liberationem olim sperare poterimus. Tertia, quia ipsas animas, imo omnes Sanctos, quorum accidentaliter gloria per hanc liberationem non modice promovetur, plurimum nobis obligabimus ad varias gratias impetrandas. Vide tit. Misericordia erga Defunctos. Item Fabrum in Sylva them. 5.

PRO DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

I. *Magister scimus quia verax es*. MATTH. XXII. Potest adulationis vitium dissuaderi, et canidissimos adultores comparari. 1^o Quia ut illi canibus, ita hi hominibus insidiantur. 2^o Quia ut illi laqueum suum tegunt, ita hi suas fraudes. 3^o Quia ut illi interitum canum, ita hi exitium eorum quibus adulantur, quarunt. Vide tit. Adulatio, et Fabrum hic conc. 1.

II. *Non enim respicis personam hominum.* MATTH. XXII. Dicitur potest optandum esse, ut de omnibus hoc dici posset; nihil enim esse communius et nocentius acceptione personarum, id quod in tribunali utroque, sacro, et profano, maxime videre est. Vide tit. Acceptionis personarum.

III. *Cujus est imago hæc?* MATTH. XXII. Ostendi potest, quam vere homo sit imago Dei, sive potentie hominis, maxime memoria, intellectus, et voluntas; sive finis, ob quem creatus est, scilicet ut cognoscat, et amet Deum, considerentur. Inferatur subinde, quam gravis culpæ reus fiat homo, si hac imagine abutatur ad offensam Dei, eamque per varia vitia inhonoret, et commaculet. Vide tit. Anima, et Peccatum.

IV. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* MATTH. XXII. Ostendi potest, quam copiosos fructus sperare possint ii, qui per justitiam suam cuique tribuunt; quamque adeo verum sit, quod SAP. VIII. dicitur: Si quis justitiam diligit, labores hujus magnas habent virtutes; quas vide tit. Justitia.

V. *Reddite, quæ sunt Dei, Deo.* MATTH. XXII. Ostendi potest, quomodo ante omnia Deo, quod suum est tribuere debeamus, scilicet duplicem cultum, *generalem*, qui consistit in optima vita, et est cultus Deo gratissimus, amplissimus, et perpetuus; et *particularum*, qui in eo consistit, ut exercitia, quæ ad Dei cultum immediate pertinent, qualia sunt Oratio, Missæ auditio, Sacramentorum susceptio, Concionum auditio, et similia, cum magna devotione, reverentia, et constantia peragantur. Dein demonstratur, quis fructus ex hoc cultu sperari possit, scilicet ille, quem Ecclesia in hymno corporis Christi indicat, dum canit: *Sic nos tu visita, sicut te colimus.* Unde merito visitatio, et benedictio in bonis fortunæ (puta divitiis, fama) gratiæ, et gloriæ speranda. Vide tit. Oratio et tit. Deus.

VI. *Cujus est imago hæc?* MATTH. XXII. Potest imaginem cultus commendari. Et 1^o quidem ostendi, in quo consistat hic cultus, seu, qua intentione, et modo colendæ, et honorandæ sint Sanctorum imagines. 2^o Quod hic cultus non tantum licitus, sed etiam a Scriptura, et commendatus, et continua Ecclesie praxi sit receptus. 3^o Qui fructus ex eo sperari possint, nempe Sanctorum benevolentia ob honorem sibi in imagine exhibitum: memoria illustrum exemplorum ab iis relictorum, et excitatio ad

imitationem: excitatio variorum affectuum representationi convenientium: si enim ideo turpium imaginum aspectus prohibetur, ne mala desideria concipiuntur, quin et contrarium effectum honestarum, et piarum imaginum aspectus, et cultus suadeatur et permittatur? Vide tit. Sanctorum cultus, et Fabrum hic conc. 8.

VII. Ex occasione thematis: *Cujus est imago hæc?* MATTH. XXII. potest ostendi in primis breviter, quam vere dicatur homo imago Dei, scilicet, ut, quemadmodum Pater coelestis cognoscendo seipsum generat Filium, et postea uterque se mutuo amando spirat Spiritum Sanctum; ita et homo per cognitionem, et amorem Dei eidem assimiletur, et sic beatus, et perfectus evadat. Vide tit. Anima, et Fabrum conc. 6.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, cur cor hominis, ut Psalmista ait, singillatim sit factum, scilicet 1^o triangulare est factum, ut discretet homo, quemadmodum vas triangulare a nullo globo perfecte impleri potest; ita et hominis cor a toto mundi globo impleri non posse, sed a solo Deo Trino, et Uno: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, replere non potest. 2^o Supra latum, et apertum creavit, ut immeret, ad Deum, et coelestia amanda, et cupienda semper patulum, et apertum esse deberet. 3^o Infra acuminatum creavit, ut ostenderet illud terrena bona non nisi in puncto, quantum Dei voluntas, et necessitas permittit, tangere, et usurpare debere, ut juxta Pauli monitum: Mundo utantur quasi non utantur.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo imago hominis renovari debeat. Scilicet 1^o eam abluendo per aquam calidam poenitentiae. 2^o Colores novos variorum virtutum apponendo. 3^o Cortinam custodiæ sensuum, et cordis pretendendo, ne iterum facile deturpetur.

X. Ex eodem themate ostendi potest, peccatores esse gravissimos Iconoclastas. 1^o Quia imaginem Dei confringunt per blasphemias negando ei divinitatem. 2^o Quia luto immundarum voluptatum commaculant. 3^o Quia igne iracundiæ, eam comburere conantur; de quibus vide tit. Blasphemia, Luxuria, Ira.

XI. Ex occasione thematis: *Quid ma tentatis hypocritæ?* ostendi potest, quinam male tentent Deum; nimirum 1^o qui sine omni reverentia Deum adorant; hi enim equi bonitatem tentant. 2^o Qui Deo diffidunt; hi

enim ejus providentiam tentant. 3^o Qui peccata peccatis addunt; hi enim ejus logganimilatatem tentant. 4^o Qui per miraculum aliquid petunt; hi enim potentiam tentant. 5^o Qui peccant quasi Deus non videret; hi enim sapientiam Dei tentant. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

XII. Ex eodem themate suaderi potest, ut omnes Auditores a seipsis frequenter querant: Cujus est hæc imago? id est, quam personam geris in spectaculo exhibendo toti mundo, et Angelis? Itaque considerandum, quid loqui deceat talem personam; quomodo vestita, id est, quibus virtutibus ornata esse debeat, et hæc omnia a Christo, velut comico, qua verbis, qua exemplis instruentes inquire.

PRO DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.* MATTH. IX. Ostendi potest, cur defunctis succurrendum sit, pro quo fine una, vel altera ratio ex iis, quæ tit. XVII. proponuntur, effertur et amplificetur. Dein praxis solida eidem succurrendi ostendatur, prout in cit. tit. indicatur.

II. Ex eodem themate possunt motiva, quæ supra, infra, extra, et intra nos habemus ad animas juvandas, proponi, et sic causarum impellentium copia magis excitari Auditores ad opem illis crebro, et ferventer ferendam; pro quo scopo vide cit. tit.

III. *Et deridebant eum.* MATTH. IX. Potest dici, quod iis, qui succurrere volunt animabus, idem fere contingat, quod Christo dum et ipsi scilicet deridentur ab iis, qui aut nullum purgatorium credunt, ut heretici: aut iis, qui putant, charitatem incipere a seipso, atque adeo opera pro se offerenda esse, maxime cum ipsæ etiam animæ satisfacere justitiæ divine cupiant. Refutentur ergo hi omnes, et quam frivole sint hæ rationes, et excusationes, ostendatur; pro quo scopo vide cit. tit.

IV. *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti tui, sana ero.* MATTH. IX. Ostendatur, quæ causa sit, cur multi Christiani non tantum lingua tangentes, sed etiam sumentes Christum, non tamen sanentur, nimirum 1^o quia cum exigua fiducia, et desiderio ad SS. Eucharistiam accedunt, non credentes Christum

posse sanare suos morbos. 2^o Quia non reverenter eum tangunt. 3^o Quia non tangunt Christum, id est, non cooperantur ad seriam curationem. Vide hæc fusiuse explicata tit. Eucharistia.

V. *Non est mortua puella, sed dormit.* MATTH. IX. Potest mors somno comparari, quia sopiuntur omnes potentia corporis, cessat tempus, et occasio merendi, quiescit homo a laboribus, amici deserunt, etc. Ostendatur dein, quod ad mortem sicut ad somnum preparare se quisque debeat. Et 4^o examen conscientie facere, gratias agendo Deo pro beneficiis, et peccatorum veniam per contritionem, vel confessionem procurando. 2^o Sumere per sanguinem Christi in SS. Eucharistia sumptum. 3^o Exere se vestibus, id est, dispositionem facere de bonis suis. 4^o Preces nocturnas, id est, ad mortem vite abundanter accommodatas, recitare. Vide tit. Mors.

VI. *Puella, tibi dico, surge.* MATTH. IX. Ostendi potest, quomodo peccator curari possit, nimirum 1^o clamando per occultas inspirationes, lectiones pias, exhortationes privatas, conciones publicas, ut surgat. 2^o Tenendo manum ejus, et elevando a statu peccati ad statum gratiæ. Jubendo ei dari cibum SS. Eucharistiæ, et voluntatis Dei per quem confortetur, ut vivere ulterius possit. Vide tit. Poenitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Filia mea modo defuncta est: veni, impone manum tuam.* MATTH. IX. potest ostendi, quomodo opus misericordie spiritualis animabus purgantibus præstita suo modo omnia misericordie corporalis opera præstantiori modo contineat, atque adeo merito sperari queat, quod lætissimum illud. Venite benedicti, auditoris sit, qui ea exercet. Vide tit. Misericordia erga defunctos.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod patronis animarum, si cor ipsum oleo misericordie erga defunctos repletum fuerit, dici merito queat: Vade, vende creditor tuo; nam tales vere satisfaciunt debito, quod Deo, proximo, sibi ipsis debent; ut fusiuse videre est.

IX. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, animas purgandas esse agrum illum, de quo S. Augustinus dixit: « Pœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum; nam reddunt fructum trigessimum in hac vita, dum defendunt a malis, et plurima bona impetrant: sexagesimum in morte,

et iudicio, dum adstant, et defendunt; et centesimum copiose glorie post mortem, ob genus præstantissimum misericordiae. » Vide tit. cit.

X. Ex occasione thematis: *Exiit fama hæc in universam terram*: ostendi potest vanitas inanis glorie. 1^o Quia Deo eripit suam gloriam, quam non vult alteri dare. 2^o Quia demonum ludibrio exponitur, quibus se similem facit. 3^o Quia ab hominibus aestimatur, et laudatur mendaciter. 4^o Quia perdit omnem fructum laborum suorum, et audire cogitur. Receptisti mercedem tuam. Vide tit. Vana gloria, et Fabrum them. 2.

XI. Ex occasione thematis ostendi potest, cum omnes horreamus mortuos, ideoque, quamprimum possumus, ex domo deportemus, quantopere peccatum mortale horrere debeamus, quod est mors animæ. 1^o Quia separat hominem a Deo, qui est vita ipsius. 2^o Quia separat etiam ab amicis coelestibus. 3^o Quia privat omnibus bonis meritorum. 4^o Quia inhabilem facit ad operationes bonas. 5^o Quia fetere facit gravissime coram Deo, et hominibus. 6^o Quia summe deformem facit animam. Vide tit. Peccatum mortale.

XII. Ex occasione thematis: *Et deridebant eum*: ostendi potest, cur iudicia, et derisiones hominum spernendæ sint, nimirum 1^o quia quia hæc inordinate timent, temere agunt, dum putant se humana iudicia effugere posse, quod nemo hactenus potuit, ne ipse quidem Christus. 2^o Quia stulle agunt, dum cæcum de coloribus iudicantem attendunt, aut sonum foliorum in arboribus anserum sibilos, infantum jacula timent. 3^o Noxie agunt, quia sic nulla opera perfecte faciunt, quia oblique alienorum iudiciorum regulæ ea conformare student. Vide eod. tit.

PRO DOMINICA XXIV. POST
PENTECOSTEN.

I. *Erit tunc tribulatio magna.* MATTH. XXIV. Potest enarrari processus iudicii per parabolam tit. Iudicium indicatam applicatamque; aut certe aliquot motiva ad iudicii extremi horrorem ingenerandum proponi.

II. *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* MATTH. XXIV. Potest iudicium tempestati comparari, ob terrorem et alios effectus; et ostendi, quomodo propterea ad B. V. tamquam laurum confugere debeant Au-

ditores, ut fulmine ultimæ sententiæ non feriantur. Vide tit. cit.

III. *Tunc qui in Judea sunt, fugiant ad montes.* MATTH. XXIV. Possunt ostendi varii montes vel asyla, ad quæ confugere possint ii, qui in iudicio supremo tuti esse cupiunt; quales vide cit. tit. indicatos, item apud Fabrum hic conc. 5.

IV. *Tunc apparebit signum Filii hominis.* MATTH. XXIV. Ostendatur cur crux in die iudicii sit comparitura, juxta illud Ecclesiæ: Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit; nimirum 1^o ad Christi gloriam, ut per hoc iustior condemnatio eorum appareat, qui tantam misericordiam neglexerunt, et eorum præcipue, qui Christum persecuti sunt, sicut, cum homicida plectitur juxta cadaver occisi, inquit S. Thomas. 2^o Ad iustorum solatium, tunc enim omnes servi crucis, qui se crucifixo confirmaverunt in vita, accedent ad Christum Iudicem cum magna fiducia, teste Thoma Kemp. l. II. c. XII. 3^o Ad terrorem reproborum; tunc enim verificabitur illud Sap. v. Videntes turbabuntur, etc. Excitentur ergo Auditores, ut nunc crucem amplectantur, ament, colant; qui enim modo libenter audiunt, et sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Vide tit. Crux.

V. *Vae autem prægnantibus, et nutriendis in illis diebus.* MATTH. XXIV. Ostendi potest, quinam iudicium supremum maxime timere debeant, videlicet prægnantes, quales sunt 1^o Principes et magistratus, qui multos sub se subditos habuerunt; de illis enim verificabitur illud SAP. VI. Horrende apparebit vobis, etc. 2^o Qui magna talenta, et dona acceperunt; cui enim multum datum est, multum repetetur ab eo; et cum augentur dona, etiam rationes crescent donorum, teste S. Gregorio homil. IX. 3^o Qui consuetudine contracta in peccatis obdurnerunt, juxta illud ISAIÆ V. Vae, qui trahitis iniquitatem in funiculis, etc. Excitentur ergo tales, ut mature sibi prospiciant, et penitentia iudicium præveniant; cessat enim vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Vide tit. Penitentia, et Fabrum hic conc. 6.

VI. *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme.* MATTH. XXIV. Potest ostendi, quod penitentia non sit ad mortem differenda, eo quod, sicut in hyeme sunt dies breves, grave frigus, et perpetua tempestas nivium, imbrum,

ventorum, etc. Ita et in morte sit breve tempus ad penitendum, grande frigus tepiditatis ob dolores aliaque incommoda morborum, graves tentationes ob peccata præterita, impugnationes demonum, timorem iudicii etc. Excitentur itaque Auditores, ut ad penitentiam non fugiant in hyeme mortis, sed in æstate juvenilis aut virilis ætatis, ut tanto minus timoris concipiant ob imminens iudicium. Vide tit. Penitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret in occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* MATTH. XXIV. potest dies iudicii fulguri comparari. 1^o Quia erit repentinus et inexpectatus, ut fulgur. 2^o Quia ut fulgur omnia illustrabit, et manifestabit. 3^o Quia ut fulgur erit valde terribilis. Vide Fabrum in Sylva nova themat. cit.

VIII. Ex occasione thematis: *Vae prægnantibus, et nutriendis in illa die*: possunt peccatores graves his prægnantibus comparari, quia habent pessimum fructum in anima, scilicet peccatum mortale, cujus gravitas colligitur 1^o ex supplicia Deo propter illud illicitis, puta ejectione Adami ex Paradiso, diluvio, Sodomitano incendio, Egyptiorum interitu in rubro mari. 2^o Ex Passione Christi. 3^o Ex cladibus quotidianis. 4^o Ex mundi universi ultima vastatione. 5^o Ex penis inferni; de quibus vide tit. Peccatum mortale, et Fabrum conc. 3.

IX. Ex occasione thematis: *Tunc qui in Judea sunt, fugiant ad montes*: possunt ostendi varii montes, ad quos tempore iudicii confugere possimus, quorum primus est Christi passio. 2^o Sancti cœlestes. 3^o Superiores, si debitam ipsi obedientiam præstemus: tunc enim ipsis pro nobis respondebunt. 4^o Ad inimicos, quibus libenter ignovimus; tunc enim verificabitur: Dimittite, et dimittentini. 5^o Ad pauperes tam vivos, quam defunctos, quibus misericordiam libenter impendimus; tunc enim verificabitur illud Eccl. Conclude elemosynam in sinu pauperis, et ipse exorabit te ab omni malo. Vide

titul. Misericordia, Inimicorum dilectio, Obedientia.

X. Ex occasione thematis: *Videbunt Filium hominis venientem in majestate*: potest 1^o ostendi, quod iudicii dies sit tempestati similis futurus propter fulgur, tonitru seu sonitum tubæ; fulmen ultimæ sententiæ, dividens justos ab injustis, denigrans, seu ignobile faciens, urens non animam dumtaxat, sed et corpus. 2^o Ostendi potest, quod, sicut tria media contra tempestatem adhibentur, scilicet descensus in profundum locum per fugium ad laurum arborem, Crucem Hispanicam in pectore gestari: ita et pro tempestate iudicii adhiberi eadem conveniat, nimirum ut per humilitatem infra terram descendamus, ut Achab; ad B. Virginem tamquam Laurum recurramus: crucem Christi in pectore habeamus; tunc enim servi crucis Christi accedent cum magna fiducia. Vide tit. Humilitas, Hyperdulia, Crux.

XI. Ex occasione thematis: *Vae autem prægnantibus in illa die*: ostendi potest, quibus maxime timendum sit iudicium: nempe 1^o Potentibus, qui poterit tormenta patientur. 2^o Qui Christum confiteri erubescunt; hos enim et ipse erubescet, cum venerit in majestate. 3^o Qui specialia dona acceperunt a Deo, et male impenderunt; cum enim augentur dona, rationes etiam crescent donorum. 4^o Qui immisericores se exhibent proximo, nam iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam. Vide tit. Iudicium. Item Fabrum conc. 6.

XII. Ex occasione thematis: *Verba mea non præteribunt*: ostendi potest, quomodo hæc verba varie personæ pro myrothecio spirituali usurpare possint. Et 1^o quidem pauperes, si considerant, quod illis promiserit. 2^o Laborantes perpendendo præmium laboribus promissum. 3^o Infirmi. 4^o Contempti, et persecutionem patientes. 5^o Magni peccatores. De quibus omnibus vide convenientes titulos.